



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illo qui fugam fratris cælauerit. ccxxviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



sterio sacro insertos quum non sint: Statutū est à sanctis pa-  
tribus neminem clericum alienum & ignotum recipi ab  
aliquo episcopo & inthronizari in sua Ecclesia, nisi ha-  
beat à proprio episcopo epistolam, quæ in canonibus no-  
minatur formata. Ideo notum facimus paternitati vestre,  
quòd præsens frater noster harum literarum portitor no-  
mine Ecmannus, non pro sua nequitia expulsus est à no-  
bis: sed postulantibus fratribus nostris, eò quòd ex familia  
nostra fuit & noster baptizatus, fecimus ei libertatem re-  
ceptam à cornu altaris canonicè, & ordinauimus eum ad  
gradum presbyterij. Cui etiam has dimissorias siue com-  
mendatitias literas fecimus, & eum ad vestram dilectam  
fraternitatem dirigimus, vt in vestra parochia sub vestro  
sacro regimine & defensione consistere valeat. Ego, in-  
quam, Burchardus humilis episcopus, in nomine patris, &  
filij, & spiritus sancti, & in vnitae sanctæ Ecclesiæ, in qua  
Petro datum est ius ligandi atq; soluendi, absoluo Ecmannum  
presbyterum de ciuitate Vvormaciensi, in dictione  
X. & licentiam do vobis inthronizandi eum in quacunq;  
Ecclesia vultis vestræ parochiæ. Hanc ergo epistolâ Græ-  
cis literis hinc inde munire decreuimus, & anulo Eccle-  
siæ nostræ firmare censuimus. Fraternitatem vestrâ Chri-  
stus nobis incolumem conseruet. *Ϟ. γ. α. Ϟ. β. ε. ζ. ξ. α. κ. η. θ.*  
Data Vvormaciæ, Idibus Martij, Anno dominicæ incar-  
nationis, Millesimo, duodecimo, Indictione X.

*De illo qui fugam fratris calauerit. Cap. CCXXVIII.*

**S**I quis eum qui distractionem ecclesiasticam non fe-  
rens, fugam meditari agnouerit, si non statim prodi-  
derit, perditionis illius participem se esse non dubitet:  
& tam diu est à conuentu fratrum sequestrandus, quàm  
diu ille valeat reuocari.

*De illis qui presbyteros suos malè trahauerint.*

*Caput CCXXIX.*

**S**I quis presbyterum proprium inhonorat, aut verbo  
aut facto contumeliam facit, tam diu à liminibus Ec-  
clesiæ arceatur, queusque per condignam pœnitentiam  
satisfaciat. Ait enim Apostolus: Presbyteri qui bene præ-  
sunt, duplici honore digni habeantur. Item alibi dicit:  
Obedite præpositis vestris, subiecti eis estote, &c.

K iij

*Ex dictis  
Basilijs.*

*Ex cõcil.  
Aruernē.  
cap. 7.*